



Leopoldus honestis parentibus natus, & omni genere uirtutum educatus est. Is cum optima indole insignis esset, parentum cōsilio operam literis dedit, atq; prima rudimenta feliciter didicit. Postea sese ad uarias Germaniæ Academias contulit, & Philosophiæ præceptis magna diligentia incubuit. Inde quoq; animum ad Iuris studia conuertit, atq; in ijs adeo profecit, ut Legum Doctor omnium applausu crearetur. Accedebat etiam rara prudentia, & naturalis quedam facundia. Itaq; liberali stipendio Spiram uocatus, & honestis officijs decoratus fuit. quæ quidem ipse singulari industria administrauit, ac omnibus bonis gratus extitit.

Vt autem Leopoldus ingenij sui monumenta etiam ad posteros transmitteret, magna diligentia Oeconomiam Iuris conscripsit, atq; Basileæ in lucem edidit. Hac ratione consulendo & scribendo, ueneranda canitie insignis, etiamnum Spiræ perguit, & suis uirtutibus omnibus bonis plurimum innotescit. Ioan. Opor.